



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitvlvm III. Ut Clerici.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

*lenta professione non reclamaveris, non audietur amplius, jus antiquum attendendo, Tridentinum verò concedit quinquennium ad reclamandum.*

**N**otandum primò. Nil obstat, quò minus pueri ante pubertatem, religionem ingrediantur, ut regulari vitæ affluant, uti & constat *ex c. 1. & 2. c. 20. q. 2.* & docet *S. Thom. 2. 2. q. 189. n. 5.* qui etiam significat, quòd possint se obligare voto religionis assumenda. Sed distinguere oportet, num pater, vel is, qui filium in potestate habet, aut eo mortuo, tutor vel mater expressè, vel tacitè consenserit in ingressum, aut votum, tunc consilium mutare, & impuberem revocare non potest invitum, uti constat *ex cit. c. 20. q. 1. & q. 2. c. ult.* an verò non consenserit, tunc revocare potest ingressum, & votum ejus irritare, cum puerilis ætas à patris, aut tutoris &c. voluntate pendeat, uti docui *lib. 4. tra. 4. 16.* & habetur *in cit. c. 1. & 4.* Debet tamen pater, vel tutor &c. intra annum, à tempore scientiæ numerandum, reclamare, aut revocare; alioquin consensisse censetur. Videri potest *Sanchez l. 4. c. 18. Suarez lib. 3. de relig. l. 5. c. 1. & Trident. Sess. 25. c. 17. de regul.* ubi significatur puellis permitendum non esse, ut habitum religiosum ante pubertatem, seu expleto annum 12. suscipiant; eas autem, quæ post eam ætatem habitum susceptæ, vel postea professionem edituræ sunt, ab Episcopo, vel Vicario ejus, aliòque deputato ab ipsidem, licet alioquin Ordo exemptus sit, examinandas esse, num sponte in Religionem ingredi velint, aliasque requisitas qualitates habeant.

**N**otandum secundò. Si quis per vim ad professionem in Religionem ductus fuit, & postea anno integro non reclamavit, non audietur amplius, sed permanere cogitur. Ratio est, quia præsumptio tunc juris, ac de jure oritur, quòd per tanti temporis lapsum, professionem irritè ratificavit; & hoc antiquo jure. At verò per *Trident. Sess. 6. c. 19. de regularibus*, tempus

quinquenniij definitum fuit, uti latius explicavi *tra. 5. c. 5. n. 7.* & videri potest *Rod. tom. 3. de regul. q. 17. n. 16.* ubi benè declarat, tamen nulliter professus post quinquennium in externo foro non admittatur, ad allegandas causas nullitatis; admittendum esse tamen ad allegandas causas impedimenti, si, quòd intra quinquennium reclamare non potuerit, quia v. g. in carcere fuerit, aut merus semper duraverit. Dixi, in externo foro non admitti: at verò in foro conscientiæ, si reverà non ratificavit professionem, adeòque præsumptio juris falsa est, liber erit, qui ita professus est, ut scandalo, & damno alijs inferendo cessante, proptià auctoritate abire, aut fugere possit, uti docet *Navar. commen. de regularibus. n. 77. & 78.* & tradidi loco jam citato.

## CAPITVLVM III.

## Ut Clerici.

## PARAPHRASIS.

Non permittendum est Clericis ut habitum Monachorum gestent, sanctioris, aut strictioris vitæ ostendendæ causâ; sed cogendi sunt à Prælato, ut vel regulam Monachorum profiteantur, si in communi vivant, vel habitum, ac speciem externam Monachorum exuant. Hic est sensus Capituli, quod sumptum est *ex Conc. 4. Tolet.*

## CAPITVLVM IV.

## Vidua.

## PARAPHRASIS.

Si vidua velum conversionis, quamvis non sacrum, sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, habitum sanctimonialium retinere cogitur, tamen si jurare velit, se sibi velamen imposuisse, ut deponere possit.